Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

minationes tuas et non parcet oculus
meus super te, et non miserebor: sed uias
tuas ponam coram te, et abhominati
ones tue in medio tui erunt, et scie
tis quia ego dominus. In hoc capitulo iux
ta LXX interpretes ordo mutatus est atque
confusus, ita ut prima nouissima sint, et
nouissima prima, uel prima uel media,
ipsaque media nec ad extrema nec ad
principia referantur. Ex quo nos et ipsum
hebraicum et ceteros secuti interpretes
ordinem posuimus ueritatis. Ad terram
quoque Israel sermo dirigitur, quod uenerit super
eam finis et consummatio, et mittet
dominus furorem suum in eam, non iniustum
et tamen de indignatione uenientem,
sed plenum equitatis atque rationis,
ut iudicet eam secundum uias suas et
ostendat illi omnes abhominationes
suas, ut recordetur operum suorum et in
telligat quid mali gesserit. Quod autem
dicit: non parcet oculus meus super te et non
miserebor, quasi clementissimus me
dicus incidere cupiens putridas car
nes et cariosa uulnera adurere caute
rio non parcit ut parcat, non miseretur
ut magis misereatur, ne quid putridum
uiuaque carnis sue uicinia corrup
turum remaneat in corpore. Flagellat
autem dominus omnem filium quem diligit
et castigat quem recipit, cui intelligen
tie est: ego percutiam et ego sanabo.
Omnis enim medicina habet ad tempus
amaritudinem, sed postea fructus do
loris sanitatem monstrant. Tale aliquid
et per Amos loquitur deus: Quoniam uos cognoui
ex uniuersis tribubus terre, idcirco
ulciscar super uos omnia peccata uestra.
Nouit enim dominus eos qui eius sunt. Et

uias, inquit, illius tociusque uite gressum
abhominationesque et maculas ponam
in medio eius, ut ante oculos peccatricis
que per sanitatem punitur pristina peccata
deponantur. Cumque hoc fecerit dominus,
scient qui cruciati sunt quod ipse sit dominus.
Hoc ipsum sonat et illud testimonium:
ulciscar Iacob secundum uias suas, et iuxta
adinuentiones suas reddam ei.

Hec dicit dominus: Afflictio una, afflictio
ecce uenit, finis uenit, finis euigilauit
aduersum te. Ecce uenit, uenit contri
cio super te qui habitas in terra. Hec
in LXX non habentur, sed in editione eorum
de translatione Theodotionis sub aste
riscis addita sunt. Nos autem sequamur
hebraicum. Pro afflictione quam iuxta Sym
machum qui interpretatus est κακωσιν pro
perspicuitatis causa posuimus, et in hebrai
co et in greco κακια uel πονηρια scri
bitur, id est malicia. Dicitur autem quod extremum
peccatorum terre Israel tempus aduenerit,
ut iam non effugiant sententiam dei, quam
longo tempore merebantur. Et quia non
dum compleuerant peccata sua, propterea
differebatur supplicium, secundum illud
quod scriptum est: Necdum enim completa
sunt peccata Amorreorum. Unde dominus
ad iudeos: Et uos autem implete mensuram
patrum uestrorum. Uenit tibi quoque miseria,
uenit afflictio, uenitque captiuitas, et
ne putes me rursum futura minita
ri, ostendo digito atque demonstro:
ecce uenit finis, finis uenit, uenit
finis. Qui huc usque dormitare tibi
uidebatur et quiescere euigilauit contra
te atque repente surrexit. Uenit con
tractio, que hebraice dicitur sepphira,
et quam Aquila interpretatus est ΕΠΙΠΡΟΣΚΟΠΗΣΙΝ.